



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

Sectio I. Probatur euidencia credibilitatis præcedens actum fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

et per consequens non potest esse in sua entitate supernaturalis, licet intrinsece supponat aliquid supernaturale, & ab illo procedat, ut ab obiecto. Quod idem argumentum fieri potest de illa cognitione precedenti, qua experitur homo in se actum illum supernaturalem; quem licet non cognoscat distincte ut supernaturalem, cognoscit tamen illum actum eundem, qui se ipsa est supernaturalis; & tamen cognitio illa non videtur esse supernaturalis, nec procedere ab aliquo habitu infuso.

Ad hanc ergo difficultatem responsio generalis petenda est ex iis, quae diximus disp. I. sect. 9. Vbi distinguimus duplex genus entium, seu actuum supernaturalium: alterum supernaturalium formaliter, & ratione sui, quales sunt habitus, & actus fidei, spei, & charitatis, &c. gratia habitus, unio hypostatica; alterum genus supernaturalium solum praesuppositivum, quales diximus esse eos actus, qui licet non possint esse, nisi praesupposito aliquo miraculo, vel ente supernaturali proprio illis tamen supposito, debentur ipsi naturae iure suo, & ideo magis videntur dicendi naturales, quam supernaturales, v. g. quando homine mortuo, & postea resuscitato, Angelus cognoscit hominem illum resurrexisse; illa quidem cognitio eundem Angeli non potuit esse, nisi supposito miraculo resurrectionis: sed tamen actus naturalis est in sua substantia, quia ipsi naturae Angeli debetur talis cognitio in illis circumstantiis, & solum praesuppositivum est supernaturalis. Tales etiam diximus esse actus, quibus homo experitur in se saltem confusè suos actus supernaturales: licet non experiat, quod sint supernaturales: quia illa etiam cognitio proprii actus fidei, vel charitatis non potuit esse, sine illo actu cognito, quem supponimus esse supernaturalem. Cognitio tamen illa debetur naturae humanae, cui iure suo debitum est, quod experiat actus, quos habet, qualescumque illi sint, ut latius ibi explicatum est.

116 Illa ergo eadem doctrina applicanda est ad difficultatem praesentem: quia sicut naturae intellectuali debetur, quod experiat suos actus, ut possit reddere rationem de illis: ita eidem naturae intellectuali debetur, ut ex praemissis, & cognitionibus, quas habet, qualescumque illae sint, possit discurre, & inferre conclusiones: quia cum homo sit animal rationale discursivum, debetur ei discursus ex iis, quae cognoscit: quia alioquin non posset humano modo dirigere suas operationes. Sicut si propositum bono, quod clare videtur esse bonum, non posset illud velle ex defectu concursus, atque ideo nesciret reddere rationem suae omissionis, cum ex parte obiecti nihil illum retardaret: sic positis praemissis, & cognita bonitate illationis, eo ipso proponitur veritas conclusionis amplectenda, cui si non posset assentiri, convinceretur de absurditate, & nesciret respondere cur non concederet id, quod sibi ut verum omnino proponebatur. Unde etiam concederet omnem hostiam cum certitudine morali consecratam esse adorandam, & hanc hostiam esse talem, & rursus ex his sequi, hanc esse adorandam, adhuc non deberet, nec posset eam adorare, quia non posset inferre conclusionem practicam, quod haec sit adoranda: quae omnia sunt contra modum operandi humanum debitum humanae naturae: ideo dicendum est, assensum illius conclusionis esse solum supernaturalem praesuppositum.

Card. de Lugo de virtute Fidei divina.

ut, non formaliter, nam positus illis praemissis, & cognita bonitate illationis, debetur intellectui concursus ad actum conclusionis: nec solum debetur, sicut visio Dei posito lumine gloriae: haec enim non debetur intellectui, sed lumini, atque nostro casu illatio conclusionis debetur ipsi homini propter ius, quod habet intrinsece ad operandum humano modo, & idcirco ille actus non indiget alio principio elevante, sicut nec actus, quo Angelus cognoscit hominem hunc resurrexisse: licet haec etiam cognitio sit supernaturalis praesuppositivum, ut explicuimus dicta sect. 9.

DISPUTATIO V.

De euidencia credibilitatis requisita ad assensum fidei.

SECTIO I. Probatur euidencia credibilitatis praecedens actum fidei.

II. Referuntur, & solvuntur argumenta contra necessitatem euidens credibilitatis.

III. Virum iudicium euidens hoc de credibilitate oriatur a fide.

IV. Recensentur brevitè motiva, quae reddunt euidenter credibilia obiecta nostra fidei.

Obiecta fidei non solum debent esse vera, ut vidimus disput. praecedenti, sed etiam debent esse credibilia, hoc est, fide digna, de qua credibilitate nobis agendum nunc est. Ut autem sensus questionis clarus sit, advertimus, nos nomine credibilitatis in praesenti, non intelligere solum, quod obiectum taliter proponatur, ut credi possit: haec enim credibilitas latius patet, & competit rebus iis etiam, quas fide humana prudenter credimus. Nunc ergo loquimur de credibilitate superiori, quare quaerimus an quilibet fidelis, antequam fide divina credat, debeat cognoscere obiectum illud tale esse, ut prudenter possit, & debeat omnino credi firmissime, certissime, & super omnia alia, & an rursus haec credibilitas, & obligatio taliter credendi debeat, non utcumque sed euidenter cognosci: quod est quaerere, an ante fidei assensum esse debeat in quolibet fidei iudicium euidens de credibilitate obiecti modo explicato.

Nomine credibilitatis quid intelligatur.

SECTIO I.

Probatur euidencia credibilitatis praecedens actum fidei.

Omitto errorem antiquorum & nostri etiam saeculi haereticorum dicentium, nihil credi debere, nisi quod Spiritus sanctus immediate proponit, interiusque reuelat, qui, (ut ait Augustinus lib. de doctrina christiana in principio) est error superbius, & multis periculis expositus nam praeterquam quod est contra experientiam, & Scripturam, ex qua constat praedicationem

nem fidei de lege cōmuni fieri debere hominibus per alios homines: est etiā radix hæresū, & schismatum, volente vnoquoque fieri se sibi regulam credendorum, ex quo fit apud hæreticos tot esse fidei doctrinas, quot sunt capita. Neque obstant aliqua Scripturæ loca, quale est illud Isaia 54. *Ponam vniuersos filios tuos doctos à domino*, & Ioann. 6. *erunt omnes docibiles Dei*, & 1. Ioann. 5. *qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*, & alia similia, quibus indicatur, fideles doceri immediatè à Deo. Nam hæc loca solum significanc, Deum per auxilium interius gratiæ excitantis, & adiuuantis mouere cor fidelium, vt præbeant assensum iis, quæ exterius à peccatoribus ex parte Dei sufficienter proponuntur. Dicuntur etiā fideles habere in se testimonium Dei, scilicet obiectiue, quia credunt propter diuinum testimonium, quod sibi sufficienter proponitur. Magis videtur obstat illud Hier. 31. *Dabo legem meā in visceribus eorum; & non docebit ultra vir proximum suum*, & illud 1. Ioann. 2. *non necesse habentes, vt aliquis doceat vos, nam vnus docebit vos*, &c. locus Hieremæ à nonnullis intelligitur de statu patriæ, & licet verque intelligatur de statu legis gratiæ: Tolum significatur abundantia gratiæ, qua fideles ita afficiuntur ad charitatis præcepta, vt etiam deficiente lege externa, ipsa charitas doceat quid faciendum, quidve fugiendum sit: hoc tamen non tollit, quod de lege cōmuni mysteria fidei externam prædicationem requirant, de quo dixi disp. 1. sect. 2.

Hoc errore omisso, contra quem vltra alios videri potest Suarez disp. 4. sect. 1. inter Catholicos aliqui negant, eam euidenciam credibilitatis præcedere: quæ sententia tribuitur communiter Capreolo in 3. dist. 3. 2. q. unica art. 3. ad 3. contra primam conclusionem. Fundamenta postea referemus, & dissoluemus. Alij Recentiores, quos tacito nomine refert Granado tract. 2. disp. 3. sect. 1. num. 3. dicunt, eam euidenciam non reperiri in omnibus, præsertim in rudioribus, licet ad sit quantum satis est, vt prudenter credatur: Valentia verò in presenti q. 1. ad finem, puncto 4. dicit, sufficere eam euidenciam credibilitatis, quæ sit talis in potentia propinqua, qualis est illa, quam habent pueri, cum credunt in re graui parentibus, aut concionatoribus, qui non solent facile decipere, vel quando mouentur ad credendum ratione aliqua non leui momenti, ex qua facile possit colligi euidencia credibilitatis. Cautus, vt refert Aragonius in presenti q. 1. art. 4. dub. vltimo dicebat, non semper requiri euidenciam credibilitatis, sed vt in plerumque. Turrianus in presenti disp. 7. dub. 7. satis obscure loquitur: nam in §. secundo dicendum est, fatetur, aliquos conuerti ex infidelitate ad fidem, in quibus non fit absoluta euidencia credibilitatis, sed aliqua ratio, ex qua vocatione Dei interius illuminantis hominem, homo ille conuertatur, & §. sequenti dicit, quando homo fidelis venit ad vsum rationis sæpe elicere actum fidei infusæ absque expressa euidencia credibilitatis: addit tamen postea, in his præcedere iudicium aliquod credibilitatis saltem in cōmuni: non tamen explicat, an illud debeat esse iudicium euidentis. Granado vbi supra sect. 5. num. 16. docet largè dici posse, in omni credente reperiri euidenciam credibilitatis, quia habet prudens iudicium, quo sentit se debere credere: omne autem prudens iudicium euidenciam habet. Si autem iudicium illud est euidentis, non

video, cur solum largè & non propriè concedatur in omnibus euidenciam credibilitatis. Denique Suarez disp. 4. sect. 5. n. 7. relata sententia dicente, euidenciam credibilitatis necessariam esse ad fidem respectu corporis Ecclesiæ, non verò respectu singulorum credentium, subdit: *hæc opinio fortasse probabilis est*.

Vera tamen, & communis Theologorum sententia affirmat, in singulis prærequiri euidenciam credibilitatis, pro qua est aperte S. Thomas præfati art. 4. ad 2. vbi: *non enim quis crederet, nisi crederet ea esse credenda, vel propter euidenciam signorum, vel propter aliquid huiusmodi*. Vbi S. Doctor prærequirit ad fidei assensum videre (hoc est euidenter cognoscere) credibilitatem mysteriorum; eandem tenent Caiet. & alij communiter, quos referunt, & sequuntur Suarez vbi supra n. 8. Coninch. disp. 1. 3. dub. 1. n. 3. Hurtado disp. 2. 2. sect. 1. §. 2. & alij communiter.

Probatum primò ex Scriptura & Patribus pñl. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, illa enim particula *nimis*, non videtur minorem, quam euidentem credibilitatem significare. Ioan. 15. de iis, qui non credebant, ait Christus: *nam autem excusationem non habent*. Ex quo loco colligitur clarè, motiua fidei generare posse euidentiam credibilitatis: alioquin si solum generaret probabilitatem; excusationem haberent, qui non credunt, quia sequeretur aliud iudicium probabile, quo censent probabiliter, hæc mysteria non esse credibilia. Quo etiam spectant verba Pauli ad Hebr. 2. vbi eandem inexcusabilitatem supponit. *Quomodo, inquit, nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, &c. conestante Deo signis & portentis*, & ideo Matth. 5. Ecclesia comparatur Ciuitati supra montem posita, quæ abscondi non potest; & quidem hæc loca probant non solum de facto, sed etiam de possibili; nam si fides obligaret ex se ad credendum aliquod, quod non esset euidenter credibile: obligaret de facto ad plura credenda; quia non omnia, quæ Deus reuelat, sunt statim euidenter credibilia, vt constat de pluribus, quæ putamus reuelata esse aliquibus sanctis, non tamen credimus fide diuina, ergo si de facto omnia, quæ credimus, sunt euidenter credibilia, ideo est, quia fides non potest aliter ad suum obiectum tendere. Ad hoc etiam facit Clemens in Const. Apost. lib. 8. cap. 1. vbi relictis mysteriis fidei, subiungit: *Quæ, qui credit (nam vtrumque neque inconsiderat sed cum iudicio ac plenitudine) christina quidem accipit à Deo*. Videtur Augustinus tom. 6. lib. contra epistolam fundamenti, cap. 5. Hieronym. dial. contra Luciferianos circa finem, Vinc. Lyrensis in suo admoniti. & Valent. vbi sup.

Ratione probant aliqui hanc sententiam, quoniam ad credendum necessaria est prudens voluntas credendi, voluntas autè dicitur prudens, quia dirigatur ad iudicio prudentiæ proponente obiectum; ergo ad iudicio omnino euidenti: probant consequentiam, quia prudentia cum sit virtus intellectualis, debet esse practicè certa, & euidentis circa honestatem, circa quam proximè versatur, ergo obiectum, quod prudenter est credibile, proponitur euidenter credibile. Verum hæc ratio non videtur omnino efficax; quia in primis aliqui docent, posse dari actum prudentiæ verum, qui non sit euidentis, sed solum probabilis, quod sequitur Salas 1. tomo in 1. 2. tract. 11. disp. 3. sect. 4. num. 34. & 50. deinde quidquid de hoc sit, dici posset

2.
Sententia negans euidenciam credibilitatis præcedere actum fidei.

proponi posse per iudicium probabile, quod obiectum fidei sit credendum: quo dicta mine probabili dato, posset esse alius actus, quasi reflexus, evidens, & elicitus à prudentia, dictans hic, & nunc prouideret posse nos amplecti illud iudicium probabile, & velle credere fidei mysteria, sicut etiam posito iudicio probabili de paupertate Petri, datur actus evidens prudentie dictans eundem, hic & nunc honestum esse sequi illud iudicium probabile. Melius ergo probatur conclusio ex peculiari fidei natura: nam licet ad operandum honeste in aliis virtutibus non prærequiratur iudicium evidens, v.g. ad volendum ex misericordia subuenire huic pauperi, non requiritur cognoscere eundem quod sit pauper: ceterum ad volendum honeste credere fidei diuinæ, requiritur cognitio evidens credibilitatis ex motu proprio, nec sufficit cognoscere probabiliter talem credibilitatem. Ratio est, quia voluntas credendi, non est credendi utrumque, sed credendi firmissimè super omnia, & non obstante quouis alio motu, quod in cōtrarium adduci possit: esset autem imprudens, qui taliter vellet credere res ad quarum fidem præstādam probabiliter censet non habere motiua sufficientia, nam ut dicitur Ecclesi. 19. *qui cito credit, lenis est corde*, quod eo magis ibi locum habet, quò materiæ grauitas, & necessitas maiorem discussionem, & deliberationē postulat. Alioquin, si cum probabilitate solum credibilitatis crederet aliquis, non teneretur instante mortē perseuerare in fide; posset enim tunc sequi iudicium probabile contrarium dictans non adesse motiua sufficientia ad credendum, & inculpate fidem negare: quod repugnat: fides enim Christiana ea firmitate assentitur suo obiecto, ut simul profiteatur obligationem non recedendi, aut dissentendi, sed credit esse adeo verum, ut nullo modo negandum sit. Ad volendum autem hoc modo credere manifestum est, non sufficere iudicium probabile, nam stante probabilitate contrarij iudicij dictantis licere dissentire, non potest quis certo asserere hic & nunc non licere negare hoc obiectum.

Confirmatur, & explicatur, quia si daretur aliqua virtus, quæ solum inclinaret ad obediendum superiori certò & euidenter præcipienti, & cuius motiuum esset fugere inobedientiam contra certum superioris præceptum: tunc sanè hæc virtus non posset operari ex assensu solum probabiliter proponente præceptum, & obligationem obediendi: ergo cum fides sit virtus inclinans ad credendum ea solum, quæ negare non possumus; repugnat dari voluntatem credendi ex iudicio solum probabiliter dictante talem credibilitatem, quia eo ipso non manet hic & nunc obligatio simpliciter non dissentendi.

6 Dices: circa ipsam obligationem credendi, seu non dissentendi potest versari probabilitas; possum enim solum probabiliter censere, me habere obligationem etiam si videam simul probabilitatem oppositæ partis. Respondeo, bene stat dari simul duas opiniones probabiles, quarum vna asserat, altera neget obligationem secundum se ad aliquid: repugnat tamen dari opinionem solum probabilem, quæ in præsentia alterius oppositæ asserat non solum simpliciter, sed hic & nunc dari obligationem operandi; quia hoc esset asserere hic & nunc non licere oppositum, & per consequens asserere hic & nunc non esse probabile oppositum, quod repugnat asserere cum actu videam probabilitatem oppositæ partis.

Card. de Lugo de Virtute Fidei Diuina.

Vnde sumi potest ratio à priori: quia repugnat prudentiam dictare, obiectum illud esse dignum quod credatur super omnia & sine ulla formidine, quod tamen eadem prudentia iudicat, quod probabile sit esse falsum, dum iudicat posse prudenter aliquem amplecti contrarium, ut probabile, quare non posset eadem prudentia simul dictare, honeste & prudenter posse obiectum illud firmissimè & absque formidine credi cum animo cohibendi omnem formidinem: cum tamen obiectum tale iudicetur, de quo possit homo prudenter formidare.

7 Virgebis quia potest aliquis prudenter adorare hostiam consecratam, & exhibere ei supremum cultum latræ, licet simul possit prudenter dicere, fortasse hæc hostia non est consecrata: ergo possumus velle etiam credere firmissimè, per fidem aliquod obiectum, exhibendo circa illud supremum cultum intellectualem, licet possemus etiam prudenter dicere, fortasse non est verum: sicut enim per fidem credo super omnia, ita per latræm adoro, & colo super omnia. Responderetur, negando consequentiam: differentia autem ex dictis esse potest, quod cultus latræ solum tendit ad exhibenda ea signa reuerentiæ, quæ quidem prudenter exhiberi possunt alicui, quandiu non constat, non esse talem personam, nec est saltem dubium morale, licet simul iudicetur possibile, quod non sit talis: sicut quis licite reddit debitum coniugi, quandiu non constat esse alienam, licet possit simul dicere, fortasse non est coniux propter aliquod impedimentum occultum: cultus autem intellectualis fidei non potest ita exhiberi, quia ex impetio voluntatis intellectus per fidem debet credere certissimè cohibendo positivè omnem formidinem: non potest autem voluntas prudenter cohibere formidinem, quando prudentia fatetur, posse prudenter formidari de veritate illius obiecti: hoc enim esset prudentiam dictare obligationem cohibendi formidinem, quam tamen formidinem eadem prudentia dictaret esse prudentem; quod in ipsis terminis ostendit repugnantiam. Cum ergo firmitas fidei asserat obligationem cohibendi formidinem, prærequiritur talis euidentia credibilitatis obiecti, ut licet non appareat euidenter obiecti veritas, appareat tamen euidenter tanta credibilitas, ut sit obligatio absque formidine credendi, ad quam obligationem non sufficeret iudicium solum probabile de credibilitate.

8 Adhuc tamè videtur posse virgeri difficultas hæc ex alio capite: quia licet ad actum fidei prærequiratur iudicium dictans obligationem credendi firmissimè, ex hoc tamen non videtur argui necessitas iudicij euidentis: quidquid enim cognoscitur, & affirmatur euidenter iudicio euidenti, posset idem cognosci probabiliter per iudicium solum probabile, atque adeo illa eadem obligatio credendi firmissimè posset cognosci per iudicium probabile: neque enim iudicium probabile, & evidens differunt ex parte obiecti cogniti, sed per diuersum modum representandi idem obiectum, qui modus diuersus, cum teneat se ex parte actus, & identificetur cum ipso, non cognoscitur ab ipso actu: vnde quando prudentia dictat, & cognoscit obligationem credendi firmissimè, cognoscit quidem, & affirmat totam obligationem credendi, absque eo quod cognoscat reflexe, vel affirmet euidentiam aut certitudinem ipsius iudicij, quo obligationem affirmat: ergo obligatio credendi

7 Virgebis quia potest aliquis prudenter adorare hostiam consecratam, & exhibere ei supremum cultum latræ, licet simul possit prudenter dicere, fortasse hæc hostia non est consecrata: ergo possumus velle etiam credere firmissimè, per fidem aliquod obiectum, exhibendo circa illud supremum cultum intellectualem, licet possemus etiam prudenter dicere, fortasse non est verum: sicut enim per fidem credo super omnia, ita per latræm adoro, & colo super omnia. Responderetur, negando consequentiam: differentia autem ex dictis esse potest, quod cultus latræ solum tendit ad exhibenda ea signa reuerentiæ, quæ quidem prudenter exhiberi possunt alicui, quandiu non constat, non esse talem personam, nec est saltem dubium morale, licet simul iudicetur possibile, quod non sit talis: sicut quis licite reddit debitum coniugi, quandiu non constat esse alienam, licet possit simul dicere, fortasse non est coniux propter aliquod impedimentum occultum: cultus autem intellectualis fidei non potest ita exhiberi, quia ex impetio voluntatis intellectus per fidem debet credere certissimè cohibendo positivè omnem formidinem: non potest autem voluntas prudenter cohibere formidinem, quando prudentia fatetur, posse prudenter formidari de veritate illius obiecti: hoc enim esset prudentiam dictare obligationem cohibendi formidinem, quam tamen formidinem eadem prudentia dictaret esse prudentem; quod in ipsis terminis ostendit repugnantiam. Cum ergo firmitas fidei asserat obligationem cohibendi formidinem, prærequiritur talis euidentia credibilitatis obiecti, ut licet non appareat euidenter obiecti veritas, appareat tamen euidenter tanta credibilitas, ut sit obligatio absque formidine credendi, ad quam obligationem non sufficeret iudicium solum probabile de credibilitate.

8 Adhuc tamè videtur posse virgeri difficultas hæc ex alio capite: quia licet ad actum fidei prærequiratur iudicium dictans obligationem credendi firmissimè, ex hoc tamen non videtur argui necessitas iudicij euidentis: quidquid enim cognoscitur, & affirmatur euidenter iudicio euidenti, posset idem cognosci probabiliter per iudicium solum probabile, atque adeo illa eadem obligatio credendi firmissimè posset cognosci per iudicium probabile: neque enim iudicium probabile, & evidens differunt ex parte obiecti cogniti, sed per diuersum modum representandi idem obiectum, qui modus diuersus, cum teneat se ex parte actus, & identificetur cum ipso, non cognoscitur ab ipso actu: vnde quando prudentia dictat, & cognoscit obligationem credendi firmissimè, cognoscit quidem, & affirmat totam obligationem credendi, absque eo quod cognoscat reflexe, vel affirmet euidentiam aut certitudinem ipsius iudicij, quo obligationem affirmat: ergo obligatio credendi

dendi non includit in se essentialiter euidentiam iudicij de obligatione; alioquin iudicium illud non posset affirmare obligationem, quin affirmaret etiam se ipsum, & suam euidentiam: cum ergo possit totum obiectum affirmatum illo iudicio euidenti affirmari verè per iudicium etiam probabile, consequens est, ut absque iudicio euidenti possit intellectus proponere obligationem credendi firmissimè: qua obligatione posita voluntas prudenter imperabit assensum firmissimū, eum haberet etiam tunc idem prorsus motuum imperandi, quod nunc habet, nempe, obligationem & honestatem credendi. Nam de facto voluntas non habet pro motiuo obiectiuo obligationem, quæ resultat ex eo, quod obligatio proponatur iudicio euidenti: nihil enim potest esse obiectum voluntatis, quod non sit propositum, & præcognitum ab intellectu: euidencia autem ipsius iudicij non cognoscitur, nec proponitur ab ipso iudicio: ergo motiuum voluntatis non est obligatio, prout includit cognitionem euidētem obligationis, sed prout condistinguitur ab euidētia iudicij, quo proponitur; quæ tota obligatio posset cognosci minus clarè, & solum probabiliter, atque adeo daretur totum motiuum imperandi, quod de facto datur, quando adest iudicium euidens.

9 Confirmatur, & augetur difficultas. Primò, quia si iudicio probabili cognosco obligationem credendi firmissimè, in tantum excusor tunc ab ea obligatione, in quantum per cognitionem reflexam aduerto, primam cognitionem non esse certam, sed probabilem, atque adeo me non habere certitudinem de obligatione, & ideo non esse obligationem, cum possit amplecti iudicium probabile contrarium. Potest autem contingere, quod ego non habeam illam cognitionem reflexam de probabilitate, & incertitudine prioris cognitionis: non enim est necesse habere semper reflexionem supra omnem cognitionem, & eius modum: tunc enim non excusabor ab obligatione, & per consequens dabitur obligatio credendi firmissimè cum solo iudicio probabili de obligatione credendi.

10 Confirmatur secundò. Quia si obligatio includeret cognitionem certam, vel euidētem de ipsa obligatione, sequeretur processus in infinitum: nam licet habeas iudicium euidens de obligatione credendi; hoc tamen ipsum iudicium euidens posset cognosci reflexè per iudicium solum probabile, quo probabiliter iudices, te habere, vel habuisse iudicium euidens de obligatione: quo casu iam excusaris ab obligatione, cum possis prudenter dubitare, an habueris talem euidētiā vel possis probabiliter id negare. Rursus, licet cognitio reflexa de priori cognitione euidenti sit etiam euidens, potest adhuc hæc secunda euidētia cognosci per iudicium solum probabile, & tunc sequitur idem inconueniens, quod possis dubitare de tota obligatione, & excusari ab illa. Nunquam ergo dabitur obligatio integra, nisi cognoscas euidēter ipsam euidētiā prioris iudicij; & rursus per aliud tertium iudicium cognoscas euidēter euidētiā secundi, & sic in infinitum, vel fatendum erit, obligationem ipsam non includere euidētiā iudicij, quo proponitur, atque adeo non esse necessarium iudicium euidens de obligatione credendi.

11 Hæc tota difficultas molesta quidem est, & captiosa; non tamen est particularis in hac ma-

teria, sed generalis ad plures alias: probaretur enim eodem argumento nunquam nos posse affirmare, quod habeamus euidētiā, vel certitudinem de aliquo obiecto; quia ad hoc affirmandum verè, deberemus habere iudicium, non solum de ipso obiecto, sed etiam de euidētia iudicij, quod habemus de obiecto: hoc autem secundum iudicium reflexum posset non esse euidens, sed probabile: quo casu etiam primum iudicium directum fuisset euidens, non possemus dicere, quod sumus omnino certi de obiecto illo; quia sicut possumus dubitare de certitudine ipsa, possemus etiam dubitare aliquo modo de veritate obiecti, cum non simus certi, quod non possumus dubitare de illa. Vnde in omnibus materiis in quibus requiritur certitudo, vel euidētia ad inducendam, vel tollendam obligationem, requireretur processus in infinitum cognitionum reflexarum euidētiarum ad habendam talem certitudinem. Eadem ergo difficultas esset in exemplo supra adducto de virtute illa, quæ obligaret solum ad obediendum præcepto certo & indubitato. Prælati: nunquam enim obligaret, quia nunquam essemus omnino certi de obligatione præcepti, cum nunquam haberemus certitudinem reflexam de iudicio certo distante obligationem, vel saltem de certitudine ultimi iudicij testis. Item in sententia dicente, votum in dubio non obligare, sed solum quando certò constat de illo, deberet ad obligationem cognosci reflexè certitudo cognitionis de voto; quæ secunda cognitio posset esse solum probabilis, & iam tunc deberet obligatio voti, quæ reduceretur ad cognitionem solum probabilem cum probabilitate contrariæ: vnde deberet hæc secunda cognitio esse certa, & cognosci etiam per tertiam cognitionem certam, & sic in infinitum, ut votum certò obligaret. Contra verò, ubi certitudo requiritur ad hoc, ut cesset obligatio, sequeretur eadem inconuenientia, v.g. Sacerdos, qui non est certus de suo sacerdotio, debet iterum sub conditione ordinari propter inconuenientia, quæ sequuntur ex illa ordinatione dubia & incerta. Quid ergo requiritur in ipso, ut possit dicere, se esse certum de sua ordinatione ritè facta? Dices, requiri iudicium certum, vel euidens, quo iudicet se habuisse intentionem, & accepisse ordinem debito modo. Sed contra, quia, ut dicat, se esse certum, debet cognoscere reflexè certitudinem, vel euidētiā illius primi iudicij, de illa enim loquitur, tanquam de obiecto dicto, quando dicit mihi, se esse certum. Si autem certitudinem illam primi iudicij cognoscit per secundum iudicium non certum, sed probabile, non potest dicere, se esse omnino certum de sua ordinatione, quia iam in radice dubitat, cum dubitet de ipsa certitudine: ergo ut dicat, se esse omnino certum, & ut non habeat obligationem recordationis conditionatæ, necesse erit, quod illud etiam secundum iudicium reflexum sit certum, imo quod eius certitudo non cognoscatur solum probabiliter, sed certò per aliud tertium iudicium certum, & sic in infinitum. Vides difficultatem esse communem ad alias omnes materias, in quibus certitudo requiritur ad inducendam, vel tollendam obligationem: imo quoties aliquis exterius testatur certitudinem secundum de aliquo obiecto, debet esse certus de ipsa etiam certitudine cum omnibus iis reflexionibus, ut posset testificari omnimodam certitudinem, quam omnem formidinem expellit.

Omnes

12 Omnes ergo ad alias etiam materias respon-
dere debemus, obligationem non includere for-
maliter in suo esse ipsum iudicium evidens de
obligatione, quæ quidem obligatio est obiectum
iudicij, & adæquatè ab ipso distinguitur; est
autem obligatio, ut nomen ipsum importat, liga-
men, quo homo videt se ligatum vndequeque, ita
ut omnis euadendi via ablata sit. Ut ergo cogno-
scatur ipsa obligatio, debet intellectus circumspice-
re, & videre vndique ligamen esse, nec vllam
patere viam euadendi. Ad hoc autem, ut ligamen
illud completè existat, duo requiruntur, nempe
voluntas legislatoris, vel eius, qui obligat, & eius
intimatio sufficiens, siue enim promulgatio, vel
intimatio legis, aut præcepti includatur in ipsa
lege, ut lex est, siue solum sit applicatio legis iam
facta, de quo in materia de legibus certum mihi
est, includi in conceptu legis proximè obligantis,
seu in conceptu ipsius obligationis proximè
completæ. Quando ergo subditus iudicat, se lege
aliqua obligatum, non habet pro obiecto ipsum
iudicium certum, quo id iudicat, sed solum inti-
mationem legis sibi factam antecedenter ad iudi-
cium suum & notitiam talem, quæ ad ipsum per-
tinet: ex qua intimatione, & notitia taliter perla-
ta ligatur, ut non possit licitè legi resistere, & con-
tradicere, quam impotentiam iudicat per illud
iudicium: illa autem notitia, & intimatio est ali-
quid antecedens, nempe verba legis debito modo
ipsi dicta, & ab ipso percepta, quæ eo ipso ligant
subditum, & hoc est obiectum iudicij suble-
quentis.

13 Similiter quando prudentia dicitur obligatio-
nem credendi firmissimè obiecta proposita, non
habet pro obiecto euidentiā ipsius iudicij, quo
obligationem illam iudicat, sed obligationem an-
tecedentem, quæ est obiectum talis iudicij. Quæ
obligatio completur per notitiam talem rerum
credendarum, & debiti radicalis ex iure ipso na-
turæ credendi firmissimè, quæ taliter proponun-
tur. Illa autem notitia horum omnium non in-
cludit ipsum iudicium evidens de obligatione,
sed sunt apprehensiones, & notitiæ antecedentes
per quas intellectus quasi audit, ut postea iudicet
sicut subditus antequam iudicet, se esse lege obli-
gatum, accipit talem legis notitiam ita proposi-
tam, per quam obligatur formaliter, & aufertur
omnis potestas resistendi. Sic intellectui propo-
nitur taliter obiectum fidei, ut proponatur ei si-
mul ablata omnis potestas licitè resistendi, & non
credendi, de qua ablatione potestatis, & obliga-
tione posita iudicat postea intellectus, quia præ-
cessit notitia omnis viæ clausæ, & notitia talis ex
se, ex qua posset oriri iudicium evidens de obli-
gatione. Nam licet illa notitia præcedens non
fuerit iudicium, fuit tamen notitia clara claritate
radicali; qualis in ipsis etiam apprehensionibus
reperitur: neque enim apprehensiones omnes
sunt eiusdem rationis, sed aliquæ sunt ineptæ ad
generandū assensum: aliæ aptæ solum ad generandū
assensum probabilem: aliæ aptæ ad generandū
assensum euidentiem, & determinantes ad illum:
quare in ipsis etiam apprehensionibus, & notitia
illa præcedente iudicium inuenitur suo modo
claritas radicalis. Hæc ergo claritas, quæ in illo
modo proponendi præcedit, est, quæ complet
obligationem, & aufert vias omnes euadendi ne-
cessitatem legis, & debiti, & hæc claritas cogno-
scitur, & affirmatur, quando prudentia affirmat
obligationem credendi firmissimè.

Dices, iudicium non habere pro obiecto ipsas
apprehensiones formales, sed earum obiectum;
neque enim iudicium versatur circa aliud ob-
iectum, nisi circa illud, quod per apprehensiones
præcedentes propositum fuit: si ergo appren-
siones non habent pro obiecto obligationem
completam, quæ formaliter completur ab ipsis ap-
prehensionibus taliter obiectum proponentibus,
nec apprehensiones habent se ipsas pro obiecto;
consequens est, ut nec iudicium ipsum prudentiæ
possit habere pro obiecto obligationem comple-
tam, vel illam affirmare. Respondeo, apprehensio-
nes primas non habere pro obiecto obligationem
completam, quippe quæ completur formaliter
per ipsasmet apprehensiones taliter proponentes
obiectum, quare nec iudicium primum, quod ad
ipsas consequitur, affirmat obligationem comple-
tam, sed incompletam. Postea tamen dari appren-
siones reflexas de statu resultante ex prioribus
apprehensionibus, per quas secundas proponitur
iam obligatio completa resultans ex prioribus: &
ad has apprehensiones reflexas consequitur se-
cundum iudicium reflexum, quod est iudicium
practicum affirmans obligationem completam
resultantem ex obiecto taliter proposito, & cum
tali claritate per priores apprehensiones, ut non
sit via licitè resistendi illi legi. Sicut etiam quan-
do intimatur subdito præceptum, aut lex sui su-
perioris, prima apprehensio non proponit sub-
dito obligationem completam, sed incompletam,
hoc est, voluntatem, & præceptum superioris in-
timatum; & de hoc ipso fit primum iudicium:
alia verò apprehensiones reflexæ super qualita-
te, & claritate primarum apprehensionum pro-
ponunt obligationem practicam completam fun-
daram in præcepto taliter intimato, & cognito,
ut nulla sit via euadendi obligationem, & resi-
stendi licitè legi, & ex his apprehensionibus ori-
tur iudicium practicum dictans obligationem
completam, & practicam obediendi hæc & nunc
tali præcepto taliter cognito.

15 Urgetur aliquis, manere adhuc eandem diffi-
cultatem supra positam: quia illud totum, quid-
quid est, per quod completur obligatio, potest
cognosci inemittere, seu per cognitionem so-
lūm probabilem; unde redit tota difficultas, quia
eo casu iudicium probabile dictabit obligatio-
nem credendi firmissimè, & per consequens po-
terit imperari assensus fidei absque iudicio eui-
denti de credibilitate seu obligatione credendi.
Porro totum illud cognosci posse per cognitio-
nem probabilem, videtur probari eodem argu-
mento: quia id, per quod vltimò completur obli-
gatio, sunt apprehensiones tales ita clarè propo-
nentes legem, & debitum radicale, ut non re-
linquatur modus euadendi, & licitè resistendi: to-
ta autem ea claritas apprehensionum, & talis mo-
dus proponendi obiectum potest cognosci reflexe,
non clarè, sed probabiliter, quia de ipsamet
claritate, & euidentiā potest esse opinio reflexa,
& sæpe dubitamus de nostris actibus, an fuerint,
vel non fuerint euidentes.

16 Respondetur tamen iudicium vltimum pra-
cticum, & suo etiam modo apprehensiones, si
quæ sunt, illud præcedentes, non esse probabile,
sed euidens, quippe quod semper est intuitivum
vel connexum necessariò cum intuitione; est
enim reflexum supra statum, quem obiectum vlti-
mo habet in intellectu de presenti, quem statum
præsentem intueri homo potest per actum reflexe-

Apprehensio-
nes primas non
habent pro ob-
iecto obliga-
tionem com-
pletam.

xum; quare non potest probabile esse quia cognitio intuitiva non est probabilis. Posset quidem esse non omnino distincta, atque ideo quæ non posset reddere rationem distinctâ de omnibus prædicatis sui obiecti, propterea intuitus albedinis non percipit distincte, an albedo sit ens modale, vel reale, &c. ea tamē quæ intuitu percipit, euidenter percipit, & nihil probabiliter. Iudicium ergo practicum circa certam obligationem debet explorare totum statum, quem obiectum habet in intellectu, atque ideo debet intuituē repræsentare certitudinem iudicii præcedentis. Vel ergo ea certitudo est in iudicio præcedenti, & percipitur, & tunc debet percipi intuituē, quia vltimum iudicium fertur intuituē ad certitudinem præcedentis iudicii, atque adeo vltimum iudicium non erit probabile, sed euidenter de certitudine obligationis. Vel non est talis certitudo præcedens, aut etiam si sit, non percipitur à iudicio sequenti propter aliquod impedimentum: & tunc iudicium sequens non dicitur obligationem certam vlllo modo, cum non habeat certitudinem formaliter loquendo pro obiecto, atque adeo illud iudicium non sufficit ad voluntatem credendi firmissimē, quæ voluntas non potest oriri prudenter, nisi à iudicio practico de obligatione certa credendi: nec hoc iudicium de obligatione omnino certa esse potest; nisi sit reflexum supra ipsam certitudinem notitiæ præcedentis, quam cum præsens sit, intuituē percipit, & per consequens non probabiliter, sed euidenter. Requiritur autem in fide, ut prudenter credatur, hæc vltima euidentia de certitudine obligationis: quare si aliquis sine illa putaret se debere credere, adhuc sine certitudine obligationis, illud iudicium esset falsum, & non esset à prudentia infusa, nec deferuisset ad piā voluntatem supernaturalem credendi. In aliis autem materiis, in quibus plerumque non requiritur certitudo obligationis ad licitē, & prudenter operandum, possumus licitē, & aliquando honestē sine illa certitudine operari, non verò in iis aliis, in quibus ob peculiare rationes requiritur certitudo præcedens de obligatione, vel de defectu obligationis. An verò cum dubio, vel probabilitate obligationis, teneamur obligationi satisfacere; non potest vna regula generalis pro omnibus materiis assignari, in vniuersum tamen loquendo de probabilitate dicendum videtur, quoties per vltimum iudicium attentis omnibus circumstantiis intrinsecis, & extrinsecis, indicatur, solum probabilis obligatio cum probabilitate etiam de negatione obligationis, non teneri nos obligationi probabilis satisfacere, sed posse amplecti probabilitatem contrariam. Dixi tamen, quando vltimum iudicium dicitur probabilem vtriusque partem: quia in aliquibus materiis, etiam non obstante probabilitate vtriusque partis, debemus tutiorem partem eligere, ut in materia & forma baptismi, & similibus. Tunc autem illud iudicium probabile non erat vltimum, sed valde remotum, & postea succedit aliud iudicium certum de obligatione sequendi partem tutiorem in illa materia non obstante probabilitate remota contraria. Sicut è contra quando propter probabilitatem vtriusque partis possumus alterutram sequi, vltimum iudicium practicum, certò iudicatur de defectu obligationis propter probabilitatem, quam certò possumus amplecti.

Quando verò non est probabilitas, sed dubium

de obligatione, tunc ante adhibitam diligentiam, pro rei opportunitate ad deponendum dubium & examinandam veritatem, non possumus operari contra obligationem dubiam; & tunc iudicium etiam vltimum erit de obligatione certa non operandi cum illo dubio, ne exponamus nos temere periculo violandi obligationem. Facta verò diligentia, si adhuc perseverat dubium de obligatione, tunc in aliquibus materiis possumus vti libertate nostra, & tunc iudicium etiam vltimum erit, per se loquendo, certum de defectu obligationis; in aliis verò materiis non licebit operari contra obligationem dubiam; & tunc iudicium etiam vltimum erit per se loquendo, certum de obligatione, quæ autem sit hæc, vel illa materia, non est huius loci; pertinet enim ad varios tractatus: nunc enim solum incidenter id supponimus, ut videamus, quomodo vltimum iudicium possit esse certum de obligatione, quin sit reflexum supra se ipsum, & supra suam certitudinem.

Potes, quid si in vtroque casu, nimirum quando vel obligatio est solum probabilis, vel quando est dubia, iudicium vltimum non sit certum de obligatione, vel carentia illius, sed solum probabiliter? Respondeo in primis, quoties agitur de obiecto bono, aut malo in genere moris, seu de honestate, & in honestate morali, intellectum tendere super ad explorandum, quantum potest, & formandum vltimum iudicium ex omnibus circumstantiis intrinsecis, vel extrinsecis, etiam cum reflexione supra omnes suos actus; & ideo iudicium de rebus moralibus dicitur pertinere ad rationem, seu partem superiorem, & dirigi secundum regulas vniuersales, quia licet in rebus aliis, v.g. in appetendo cibo, intellectus sæpe non attendat, nisi ad eius delectationem ex vna parte, & ad sumptus pro eo faciendos ex alia; in rebus tamen moralibus attendit ad regulas vniuersales, ut videtur, quid ex omnibus circumstantiis in vniuersum hæc & nunc, sit pro honestate vel in honestate illius obiecti, donec certificetur saltem certitudine reflexa de statu morali obiecti, attentis omnibus circumstantiis, & modo, quo innoscitur. Quare, si est certitudo obligationis, iudicium vltimum eam affirmat; sicut è contra, si est certitudo de defectu obligationis, hunc etiam defectum certò affirmat. Si verò sit dubia, vel probabilis obligatio, iudicium sequens certò affirmat dubium illud, & tunc ulterius intellectus, qui nondum inuenit certam obligationem, vel eius carentiam, pergit inuestigando reflexè, an stante dubio, vel incertitudine obligationis, cesset certò obligatio vel potius infurgat: & de hoc ipso format iudicium aliud certum, si potest attentis iis omnibus circumstantiis. Si autem non potest, sed attentis omnibus nequit certò asserere, manere, vel deficere obligationem: affirmat ad minus certò non esse certam obligationem, vel defectum illius. Hoc autem iudicio stante, an voluntas possit agere contra obligationem dubiam; distinguendum est: nam si adest iudicium vltimum probabile de obligatione, & nullum etiam probabile de defectu obligationis, debet voluntas satisfacere obligationi, quæ proponitur, quam si non exequatur, nullum sequitur iudicium probabile de defectu obligationis, quod, ut supponitur, nullum habet. Si verò appareat etiam probabilitas partis contrariæ contra obligationem, sequitur, ut iudicet etiam, se non obligari, cum possit amplecti illam probabilitatem, atque ideo non potest

simul habere iudicium, probabile de obligatione, quia non possunt simul esse duo assensus etiam probabiles de obiectis contrariis in eodem intellectu, nec illud iudicium probabile de obligatione possit esse ultimum, cum apparente ultima probabilitate contraria, non possit esse ultima obligatio practica. Quod si contendas fieri posse, ut iudicet probabilitatem esse contra obligationem, & tamen non iudicet, se ideo excusari ab obligatione, neque ideo possit adhuc assensu probabili iudicare dari obligationem absque assensu probabili circa carentiam illius, licet ad sit assensus circa probabilitatem in actu signato contra obligationem, dato eo casu teneretur per accidens propter ignorantiam sequi iudicium probabile de obligatione, quam iudicat absolute esse, cum nullum habeat assensum probabilem, quo iudicet non esse obligationem, quem assensum sequi possit.

19 Quando denique non ageretur de probabilitate, sed iudicaretur solum obligationem omnibus pensatis, esse dubiam: tunc in aliquibus materiis per se loquendo, deberet satisfieri obligationi, in quibus nimirum tutior pars in dubio sequenda est: quia per se loquendo, ex illo dubio de obligatione deberet subsequi iudicium reflexum de obligatione in tali materia; in aliis vero materiis, per se loquendo, cessaret obligatio, quia ex illo iudicio de obligatione dubia, consequitur iudicium aliud reflexum de cessione obligationis in illa materia. Si autem contendas, posse contingere, ut per accidens nullum aliud iudicium sequatur, sed ultimum iudicium dicat solum obligationem esse dubiam: certe iudicium illud non esset sufficiens ad obligandum, quia ipsum solum, & sistendo ibi, non esset sufficiens ad mouendam voluntatem. Voluntas enim deberet moueri à iudicio proponente bonum: illud autem iudicium nullum proponit bonum, sed solum dubium de obligatione; ergo quandiu intellectus non progreditur dicendo, bonum, necessarium, vel certe expediens est satisfacere huic obligationi dubie, nondum adest regula ultima mouens voluntatem ad operandum intuitu obligationis. Debet ergo semper deueniri ad iudicium ultimum certum, vel saltem probabile circa honestatem vel turpitudinem ipsam obiecti propositi, attentis omnibus circumstantiis praesentibus.

20 Dices, qui operatur cum conscientia erronea obsequando, vel violando praeceptum falsum, quod sibi fingit, non potest habere iudicium ultimum certum, aut probabile, sed falsum, & erroneum; & tamen meretur operando iuxta illud iudicium: non ergo requiritur iudicium evidens, imò nec verum ad prudenter operandum, qui enim meretur, prudenter operatur. Respondetur facile, eo casu iudicium ultimum verissimum esse, & prudentissimum, atque etiam certissimum; nam licet aliquod iudicium praecedens fuerit falsum, quo falsò iudicatur praeceptum obligare, & ideo dicatur esse conscientia errans: posito tamen illo iudicio, & quod homo ob ignorantiam, vel inaduertentiam suam non inuenit viam euadendi obligationem legis; verissimum, & certissimum est, hominem hic & nunc obligari ad ponendum opus illud, & hoc iudicium elici potest etiam à prudentia infusa, & deferuire ad meritum etiam supernaturale.

11 Nunc iam, ut ad id reuertamur, unde digressi sumus: haec omnia applicari possunt ad iudicium

credibilitatis, seu obligationis credendi, cuius occasione haec dicta sunt, ut videremus, an posset voluntas imperare prudenter assensum fidei cum iudicio ultimo credibilitatis solum probabili; dicendum itaque est id fieri non posse, quia cum motuum per affectionem sit honestas credendi firmissime, quando obligatio credendi certa est, alioquin non imperaretur prudenter talis assensus firmissimus, consequens est, ut debeat cognosci prius obligatio certa, atque adeo certitudo obligationis completa orta ex cognitione evidenti praecedenti: cuius cognitionis evidenti, cum praesens sit, & intuitue percipiatur, non potest nisi euidenter representari à iudicio ultimo practico, quod iudicare debet de euidencia actuum praecedentium, à quibus haec obligatio ultimo completa fuit in ratione obligationis certae.

Vnde ad primam confirmationem propositam dicimus repugnare, quod iudicio solum probabili affirmetur obligatio illa certa credendi firmissime hic & nunc, quia obligatio illa compleri debet per euidenciam actuum praecedentium; quae euidencia si exiit in ipsis actibus, cum praesens sit, debet percipi intuitue, & euidenter, & non solum probabiliter ab intellectu per actus subsequentes in posteriori natura.

Ad secundam confirmationem ibi adductam respondetur etiam ex dictis, iudicium ultimum evidens de certitudine obligationis credendi non debere cognosci per aliud iudicium reflexum: quia iam per illud iudicium cognoscitur obligatio certa, & eius certitudo proueniens formaliter ab actibus praecedentibus certis. Et cognoscitur euidenter per iudicium evidens certificantem formaliter de ipsa certitudine, quod iudicium non includitur in obligatione certa credendi, sed supponit totam illam, & representando eam clare, applicat eam sufficienter, ut moueat voluntatem: quae quidem non habet pro motu ipsam applicationem sufficientem motui, quod est obligatio certa, ut condistincta ab applicatione seu representatione certa, qua applicatur, quamvis, ea applicatio, & talis applicatio evidens exigatur ad mouendum sufficienter, ut mox explicabo.

Hinc etenim possumus obiter indicare responsionem ad exempla ex aliis materiis, quae adduximus supra, in quibus diximus esse eandem difficultatem. Et in primis, quando aliquis testificatur, se aliquid certo scire necesse quidem est, quod non solum sciat rem ipsam, sed etiam reflexe cognoscat certitudinem, quam de re habet, non potest enim loqui id, quod non cognoscit; loquitur autem non solum de re ipsa, sed etiam de certitudine, quam de re habet: ergo necesse est, quod utramque cognoscat; non est tamen necesse, quod cognoscat etiam cognitionem certam reflexam, quam habet de cognitione directa, certa; daretur enim processus in infinitum, quare sistendum est in aliqua cognitione certa, quae sit sola applicatio rei, de qua loquitur, & non sit obiectum loquutionis, vel obiectum à se cognitum. Quando vero virges, quia si cognitio evidens ipsa, quam habes de obiecto cognoscereur à te per cognitionem solum probabilem, non posses testari te esse omnino certum de ipso obiecto, posses enim formidare de certitudine tua, cum solum probabiliter cognoscas, te habere cognitionem euidentem de obiecto: respondendum est, si cognitio evidens, aut certa, quam habes de obiecto non cognosceretur à te cognitione certa, sed incerta, & probabili,

An possit voluntas imperare prudenter assensum fidei cum iudicio ultimo credibilitatis solum probabili?

22

Respondetur ad primam confirmationem supra positam.

Respondetur ad secundam.

probabili, non posse te testificari, quod obiectum illud certo scias: ad hoc enim testificandum non sufficit certo scire obiectum, nisi & certo scias te illud certo scire. Nam cognitio incerta reflexa de cognitione certa directa, licet repræsentet idem obiectum, & eandem certitudinem, quam repræsentaret cognitio certa reflexa de certitudine directa: non tamen repræsentat debito modo, ut moueat voluntatem ad volendum id testificari. In genere enim loquendo fatendum est, ad aliquos actus requiri ex parte intellectus non solum quod proponat tale obiectum, sed etiam, quod proponat tali genere cognitionis, quæ cognitio, licet non sit obiectum, nec cognoscatur, est tamen applicatio talis, ut ex eius variatione pendeat sufficientia, vel insufficientia applicationis ad mouendam voluntatem, quæ in ordine ad obiectum idem diuerso valde modo tangitur, & mouetur diuerso genere applicationis, & propositionis. Exemplum habemus in visione clara Dei, quæ quidem ita applicat obiectum suum voluntati, ut licet ipsa visio, & eius claritas non cognoscatur reflexe, & licet omnia prædicata Dei, quæ clare repræsentat, antea cognoscerentur obscure per fidem, voluntas tamen mouetur necessario ad amorem Dei, ad quem amorem non mouetur necessario cognitione alia obscura, vel abstractiua eiusdem obiecti. Ecce modus cognitionis non cognitus variat modum mouendi voluntatem, licet tota illa variatio sit in sola applicatione, & non in ipso obiecto, vel motiuo. E contra cognitio euidentis mali præsentis, vel futuri multo magis contristat, vel conturbat, quam cognitio probabilis eiusdem mali, ut experientia constat, qui excessus prouenit solum à diuerso modo applicationis, licet applicatio ipsa non cognoscatur reflexe, & sic in aliis exemplis. Similiter ergo ad volendum testificari de notitia certa alicuius obiecti non mouet sufficienter cognitio solum probabilis de notitia certa obiecti, sed requiritur notitia certa de certitudine directa: quia licet cognitio probabilis reflexa proponeret eandem certitudinem cognitionis directæ, quam proponeret cognitio reflexa certa, & aliunde ipsa cognitio certa reflexa non cognoscatur: illa tamen cognitio probabilis ita debilitat propositionem, & applicat certitudinem cognitam, ut in actu exercitio debilitat voluntatem ad testificandam securitatem, & certitudinem, sicut enim cognitio solum probabilis de bono præsentis, licet proponat ex parte obiecti illud idem bonum, in ipso tamen actu exercitio contristat, & impedit gaudium vehemens de possessione tanti boni: ita, cum eadem sit anima, quæ cognoscit certitudinem, & quæ debet velle eam testificari (nam eadem anima immediate concurret ad cognitionem & amorem) cognitio illa incerta de certitudine cognitionis directæ non certificat formaliter animam de illa certitudine, & in actu exercitio reddit ineptam, & minus securam ad testandam alacriter certitudinem, & securitatem de obiecto. Quando vero est certitudo ex parte obiecti cogniti, & ex parte applicationis certæ, quæ proponitur, iam tunc anima est & obiectiua, & formaliter certa, & secuta, atque apta ad testandam securitatem & certitudinem. Quod idem dicendum est de iudicio euidenti credibilitatis ad voluntatem credendi: nam licet illud iudicium vltimum non cognoscatur, sed certitudo prioris iudicii directi atque adeo certitudo vltimi iudicii

reflexi non moueat ut obiectum cognitum: mouet tamen formaliter per modum applicationis debite certificantis formaliter animam, & redditur securam de certitudine obligationis credendi. Quare si iudicium illud vltimum posset non esse euidentis, sed probabile de obligatione certa, & certitudine directa, non moueret sufficienter ad volendum prudenter credere firmiter, non ex defectu obligationis certæ propolite, sed ex defectu applicationis debite, nempe iudicii certificantis formaliter, quo ea certitudo obligationis proponeretur.

Propter eandem rationem virtus illa, si quæ esset, quæ inclinaret solum ad obediendum, quando esset certitudo præcepti obligantis, non posset obedire, quando solum probabiliter proponeretur præceptum certum: quauis enim proponeretur totum motiuum ex parte obiecti, non tamen adesset motiuum ex parte applicationis, quæ sit certificantis formaliter de obligatione præcepti, sed potius esset radix formidandi de veritate obligationis, quæ formido radicalis impediret voluntatem ab operatione certa. Similiter, si requireretur totalis certitudo voti ad eius obligationem, non obligaret, quando voti obligatio certa proponeretur per iudicium solum probabilis propter eandem rationem, fortasse tamen ad obligationem voti non requiritur tanta certitudo reflexa, imò sufficeret notitia probabilis sine probabilitate contraria: de quo alias. Denique qui assensu solum probabiliter iudicaret certum fuisse suum baptismum, vel suam ordinationem in Sacerdotem, posset, & deberet repetere sub conditione baptismum, vel ordinationem, quia non posset affirmare, se certum esse de suo baptismo, vel ordinatione, licet probabilitas solum se teneret ex parte vltimi iudicii non cogniti, sed applicantis certitudinem cognitam: nam in istis omnibus procedit eadem ratio. Quæ licet prolixius fortasse dicta videantur, oportuit tamen ea aliquantulum euoluere occasione illius difficultatis, quæ, ut vidimus, in multis materiis potest occurrere.

Habemus ergo ex dictis, requiri ad voluntatem prudenter credendi fidei christiana firmiter, una iudicium euidentis de credibilitate obiecti. Ad id Suarez *dist. 2. n. 6.* iudicium hoc debet dicere euidenter non solum obiectum fidei esse credibile, sed etiam esse credibilis quacunque doctrina sibi contraria. Hoc tamen nihil addit ipsa supra id, quod diximus. Nam creditio in hac quaestione non significat id solum, quod credi potest, sed quod prudenter credi debet firmiter super omnia alia: non potest autem esse obligatio credendi taliter aliquid, cuius contrarium æquè sit credibile, vel saltem sit prudenter credibile: nam eo ipso possemus prudenter formidare de veritate huius obiecti, si eius contrarium possemus prudenter credere: non possemus ergo prudenter cohibere formidinem omnem circa veritatem huius obiecti, nec id posset præceptum fidei præcipere. Idem ergo est hoc obiectum esse taliter credibile firmissima fide, ac esse credibilis omnibus obiectis contrariis. Nunc iam videamus, & dissoluamus argumenta, quæ communiter fieri solent contra necessitatem huius euidentie credibilitatis, ex quorum solutione melius intelligetur, qualis, & quanta sit hæc necessitas.

SECTIO